



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Epiphania Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

2. Cor. II. c. Ipse enim Satanas transfiguratur se in Angelum lucis ^a. Hoc ergo timendum ei, qui tanta delectatione omnia facit; ne dum sequitur affectionem, corpus destruat per immoderatam exercitationem; ac deinde necesse habeat, non sine magno spiritualis exercitii detrimento, circa debilitati curam corporis occupari. Ergo ne incurrat qui currit, illuminari necesse est *lumine discretionis*, quæ mater virtutum est, & consummatio perfectionis. Hæc nimirum docet, ne quid nimis: atque hæc est octava dies in qua circunciditur Puer: quia discretio verè circuncidit, ut non plus nec minus fiat. Nam & qui nimius est, fructum boni operis abscidit, non circuncidit, sicut qui tepidus est, si minus facit. In hac ergo die nomen imponitur, & nomen salutis: nec de eo qui sic conversatur dubitem dicere, quod suam ipsius salutem operetur. Usque ad hunc enim diem dicere possunt Angeli, qui norunt secreta cælestia: sed ego nunc primum ei fiducialiter nomen salutis impono. At verò quia omnino rara ista avis est in terris, huius discretionis locum in vobis fratres suppleat virtus obedientiæ, ut nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum sit, faciatis.

8. Dies discretionis.
Discretio in exercitiis tenenda, ne fiant cum detrimento valetudinis, & spiritus profectus.

IN EPIPHANIA DOMINI,

De Verbis Apostoli, *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*, ad Tit. 3. b.

Et de tribus Christi Apparitionibus.

S E R M O I.

^a **A**pparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei ^a. Gratias Deo, ^b Ad Tit. 3. per quem sic abundat consolatio nostra in hac peregrinatione, in hoc exilio, in hac miseria. Super his namque sæpius vos admonere curamus, ut nunquam mente excidat peregrinos vos esse longè factos à patria, pulsos hæreditate. Quisquis enim desolationem non novit, nec consolationem agnoscere potest. Quisquis consolationem ignorat esse necessariam, superest ut non habeat Dei gratiam. Inde est quòd homines sæculi negotiis & flagitiis implicati, dum miseriam non sentiunt, non attendunt misericordiam. Vos quibus non frustra dictum est ^b, *Vacate, & videte, quoniam suavis est Dominus*: & de quibus idem Propheta, *Virtutem*, inquit ^c, *operum suorum annuntiabit populo suo*: vos, inquam, quos non detinet occupatio secularis, attendite quænam sit consolatio spiritualis. Vos qui non ignoratis exilium, audite quia de cælo venit auxilium. ^d *Apparuit enim benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei* ^d. Priusquam appareret humanitas, latebat benignitas. Siquidem & prius erat: nam & misericordia Domini ab æterno est. Sed unde tanta agnosci poterat?

^b Psal. 45. b

^c Psal. 110. b

^d ad Tit. 3. b

In Epiphania Domini, Sermo I. 115

terat? Promittebatur, sed non sentiebatur: unde & à multis non credebatur. Multifariè quippe multisque modis loquebatur Dominus in Prophetis ^e, Ego, inquit, cogito cogitationes pacis & non afflictionis ^f. Sed ^eHebr. 1. a
quid respondebat homo afflictionem sentiens, pacem nesciens? Quous- ^fHier. 29. d
que dicitis pax, pax; & non est pax? Propter hoc Angeli pacis amarè fle- ^aEzech. 15. b
bant, dicentes: Domine, quis credidit auditui nostro &? Sed nunc credant ^gEsa. 53. d
homines vel visui suo: quia testimonia Dei credibilia facta sunt nimis ^hPsal. 92.
Ut enim nec turbatum quidem oculum lateat, in sole posuit tabernaculum; ⁱPsal. 18. a
suum.

Ecce pax non promissa, sed missa: non dilata, sed data: non pro- ^{Veritas divi-}
phetata, sed præsentata. Ecce quasi saccum plenum misericordia sua ^{nae misericor-}
Deus Pater misit in terram: saccum, inquam in passione concidendum, ^{diæ.}
ut effundatur quod in eo latet pretium nostrum. Saccum utique etsi par-
vum, sed plenum. Parvulus siquidem datus est nobis: sed in quo ha-
bitat omnis plenitudo divinitatis. Postquam enim venit plenitudo tem-
poris, venit & plenitudo divinitatis. Venit in carne, ut vel sic carnalibus
exhiberetur: & apparente humanitate benignitas agnosceretur. Ubi e-
nim Dei innotescit humanitas, iam benignitas latere non potest. In quo
enim magis commendare poterat benignitatem suam, quam suscipiendo
carnem meam? Meam inquam, non carnem Adam, id est, non qualem il-
le habuit ante culpam. Quid tantopere declaret eius misericordiam,
quàm quòd ipsam suscepit miseriam? Quid ita pietate plenum, quàm
quòd Dei Verbum propter nos factum est scenum? Domine quid est homo ^kIob. 7. d
quia reputas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum ^k? Hic attendat ^{Quanti Deus}
homo quanta sit cura eius Deo: hinc sciat quid de eo cogitet, aut quid ^{fecerit homi-}
sentiat. Non interrogas o homo ea quæ pateris, sed quæ passus est ille. ^{nem, ostendit}
Quanti te fecit ex his qui pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi beni- ^{ipse factus ho-}
gnitas eius ex humanitate. Quantò enim minorem se fecit in humani- ^{mo.}
tate, tanto maiorem exhibuit in bonitate: & quanto pro me vilior, tanto
mihi charior est. Apparuit (inquit Apostolus ^l) benignitas & humanitas ^{Ad Tit. 3. b}
Salvatoris nostri Dei. Magna planè & manifesta benignitas, Dei huma-
nitas; & magnum benignitatis indicium declaravit, qui humanitati adde-
re nomen Dei curavit.

Et quidem ad Mariam missus Gabriel Angelus Filium Dei loquitur;
sed non nominat Deum. Benedictus Deus, qui talem nobis de nobis
ipsis Angelum dedit, ut noster ipse suppleret, quod ille non dixit. Nam
& ipse Spiritum Dei habuit, & eius spiritu locutus est: quod nobis val-
dè necessarium fuit. Quid enim sic instruit fidem, spem roborat, cha-
ritatem accendit, quomodo humanitas Dei? Sed Angelo nostro id refer-

vatum est, quod alii tacuerunt. Neque enim omnes omnia dicere congruum erat, ut à diversis diversa colligere gratulemur, & debitas singulis gratias referamus. Attamen unum est in quo conveniunt Apostolus & Angeli, qui de Christi nativitate loquuntur, id est, in nomine *Salvatoris*. Ad Mariam quidem tanquam plenius edoctam per spiritum, Gabriel loquens indicat nomen solum. *Et vocabis*, inquit ^m, *nomen eius Iesum*. Ad Joseph veniens Angelus non solum nomen protulit: sed & causam eius interpretatus edocuit, dicens ⁿ: *Et vocabis nomen eius Iesum: ipse enim salvum faciet populum suum à peccatis eorum*. Sed & pastoribus quoque annuntiatur *gaudium magnum; natum illis salvatorem Christum Dominum* ^o. Simile aliquid Paulus loquitur ^p: *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei*. Bene dulce nomen nullus ex ipsis tacuit, quia hoc mihi maxime necessarium fuit. Alioquin quid agerem audiens Dominum venientem? Nunquid non fugerem, sicut Adam qui à facie eius fugit, sed non effugit? Non desperarem, audiens quia venit ille cuius legem sic prævaricatus sum, cuius patientia sic abusus sum, cuius beneficio tam ingratus inventus sum? Quæ verò maior consolatio poterat esse, quam in dulci vocabulo, in nomine consolatorio? Propterea & ipse dicit, *quia non venit filius ut iudicet mundum: sed ut salvetur mundus per ipsum* ^q. Jam confidenter accedo, iam supplico fiducialiter. Quid enim timeam, quando Salvator venit in domum meam? Ei soli peccavi, donatum erit quicquid indulserit ille. Utique enim licet ei quod vult facere. Deus est qui justificat, quis est qui condemnet? Aut quis accusabit adversus electos Dei ^r? Propterea gaudere nos oportet quòd in nostra venerit, nunc enim facilis ad indulgentiam erit.

Denique parvulus est, leviter placari potest. Quis enim nesciat quia puer facile donat? Ecce si non fuerit nobis pro minimo, possumus reconciliari pro minimo. Pro minimo, inquam, non tamen sine poenitentia; sed quia nimirum quiddam sit nostra ipsa poenitentia. Pauperes sumus, parum dare possumus: attamen reconciliari possumus pro parvo illo, si volumus. Totum quod dare possum, miserum corpus istud est: illud si dederò, satis est. Si quo minus, addo & corpus ipsius. Nam illud de meo est, & meum est. Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est mihi ^a. De te Domine suppleo, quod minus habeo in me. O dulcissima reconciliatio! O satisfactio suavissima! O verè reconciliatio facilis, sed perutili! satisfactio parva, sed non parvipendenda! Etenim quàm facilis modò, tam difficilis erat postea: & sicut modò nemo est, qui reconciliari non possit, ita post paululum nemo qui possit: quoniam sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem estimationem: similem expectare

^m Luc. 1. b

ⁿ Matt. 1. d

^o Luc. 1. b
^p ad Tit. 3. b
Salvatoris nomen ubique celebre & amabile.

^q Ioan. 12. g

^r Rom. 8. f

Attende hæc, & homo, & animum fiducia erige.

^a Esa. 9. a

Reconciliatio cum Deo nunc facilis est, sed postea difficilis futura.

In Epiphania Domini, Sermo I. 117

expectare possumus iudicii districtionem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis iustitiam: sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Ut enim scires quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ, magnitudinem ultionis attende. Immensus est enim Deus & infinitus in iustitia, sicut & in misericordia. Multus ad ignoscendum: multus ad ulciscendum. Sed misericordia quidem priora sibi vendicat: ut si voluerimus, districtio invenire non possit in quem sæviat. Propter hoc enim benignitatem prærogavit, ut per eam reconciliati severitatem videamus securi. Propterea voluit non solum ad terras descendere, sed etiam innotescere; non solum nasci, sed & agnosci.

Ex magnitudine presentis Misericordiae colligenda severitas futura iustitia.

Denique propter hanc agnitionem dies ista celebris habetur, & insignis dies apparitionis. Hodie enim Magi ab Oriente venerunt, ortum solem iustitiæ requirentes, eum de quo legitur *Ecce vir, Oriens nomen illi*. Hodie adoraverunt novum Virginis partum, sequentes novi sideris ductum. Nonne & hic nobis est magna consolatio: sicut in illo de quo loquuti sumus Apostoli verbo? Ille dixit Deum: isti non voce, sed opere dicunt: Quid facitis o Magi, quid facitis? Lactentem puerum adoratis, in tugurio vili, in vilibus pannis? Ergo ne Deus est iste? Deus certè in templo sancto suo: Deus in cælo sedes eius: & vos eum quæritis in vili stabulo, in matris gremio? Quid facitis quod & aurum offertis? Ergo rex est ipse. Et ubi aula regia, ubi thronus, ubi curiæ regalis frequentia? Nunquid aula est stabulam, thronus præsepium, curiæ frequentia Joseph & Maria? Quomodo ita insipientes facti sunt viri sapientes, ut adorent parvulum æticipabilem tam tua ætate, quam paupertate suorum? Insipientes facti sunt, ut fierent sapientes? & prædocuit eos spiritus quod postea prædicavit Apostolus: *Qui vult sapiens esse, stultus fiat, ut sit vir sapiens*. Quia enim per sapientiam mundus in sapientia sua Deum cognoscere non poterat: placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos fieri credentes. Nonne timentum erat, Fratres, ne scandalizarentur viri isti & illusos se crederent, cum tanta indigna viderent? A regia civitate ubi regem quærendum conjectabant, ad Bethleem villam parvulam diriguntur. Ingrediuntur stabulum, inveniunt involutum pannis Infantulum. Non illis sordet stabulum: non pannis offenduntur: non scandalizantur lactentis infantia: procidunt, venerantur ut regem, adorant ut Deum. Sed profecto qui illos adduxit, ipse & instruxit: & qui per stellam foris admonuit, ipse in occulto cordis edocuit. Hæc igitur Domini declaratio clarificavit hanc diem; & Magorum devota veneratio devotam fecit & venerabilem.

Prima Apparitio hodie celebris Magis per stellam facta.
Zach. 6.c

Eximia fides & pietas Magorum Christi Deum & regem agnoscentium, inter tot abiectiōni indicia.

1. Cor. 3. d
1. Cor. 1. d

Secunda Ap-
paritio per
speciem co-
lumbæ & pa-
tris vocem in
Baptismo.

¶ Ioan. 1. d

Humilitas
Iesu baptiza-
ri volentis.

¶ Matt. 3. d

¶ Ibid.

Agni & Co-
lumbæ inno-
cētia & sim-
plicitas.

Nec sola hæc apparitio, sed altera quædam, sicut à Patribus nostris accepimus, hodie celebratur: quæ & si longo post tempore, facta creditur hoc ipso die. Cum enim iam Christus triginta annorum tempus exegisset in carne, qui secundum divinitatem idem ipseest, & anni eius non deficiunt: inter populares turbas ad baptismum Joannes advenit. Venit tanquam unus è populo, qui solus erat sine peccato. Quis eum tunc crederet filium DEI? quis putaret Dominum maiestatis? Valde quidem humiliaris Domine: in imis absconderis, sed Joannem latere non poteras. Nonne ipse est, qui per maternum uterum te nondum natus agnovit? Nonne ipse est, qui per utriusque materni uteri parietes te agnovit: & quia turbis clamare non potuit, saltem matrem suam motu exultationis edocuit? Nunc autem quid? *Vidit eum Ioannes* (ait Evangelista ⁿ) *venientem ad se, & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Verè agnus, verè humilis, verè mansuetus. *Ecce, inquit, Agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi.* En ipse qui purgationem faciet delictorum, ecce sentinam nostram purgaturus advenit: & tamen post hoc testimonium baptizari vult à Joanne. Tremuit ille. Quid mirum? Quid, inquam, mirum, si tremit homo, nec audet attingere sanctum Dei verticem, caput adorandum Angelis, reverendum potestatibus, tremendum principatibus? Baptizari vis Domine Iesu? Ad quid enim, aut quid tibi opus fuit baptisate? Nunquid sano opus est medicina, ac mundatione mundo? Unde tibi peccatum, ut baptisma sit necessarium? Nunquid à Patre? At patrem quidem habes, sed Deum: & æqualis es illi, Deus de Deo, lumen de lumine. Nam in Deum peccatum cadere non posse quis nesciat? An verò de Matre? Nam & Matrem habes, sed virgo est. Quod ergo peccatum ex ea trahere potuisti, quæ te sine iniquitate concepit, & salva integritate peperit? Quam maculam habere potest Agnus sine macula? *Ego, inquit Joannes ^x, à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Magna utrinque humilitas: sed nulla comparatio. Quomodo enim non humiliaretur homo coram humili Deo? *Sine modo* (inquit ³ Dominus) *debet enim sic nos implere omnem iustitiam.* Acquievit Joannes & obedivit: baptizavit Agnum Dei, & aquas lavit. Nos abluti sumus, non ille: quia nobis lavandis aquæ cognoscuntur ablutæ.

Sed fortassis minus credis Joannis testimonio, quia ipse homo est: & potes habere suspectum, cognatus eius est cui testimonium perhibet. Ecce testimonium maius Joanne? testimonium advenientis columbæ, Nec incongruè ad indicandum Agnum Dei venit columba: quia nihil melius Agno convenit quàm Columba. Quod agnus in animalibus, hoc columba in avibus est. Summa utriusque innocentia, summa man-

sue-

In Epiphania Domini, Sermo I. 119

fuetudo, summa simplicitas. Quid enim sic alienum ab omni malitia sicut agnus, & columba? Nocere cuiquam nesciunt: lædere non noverunt. Sed ne fortuito casu id evenisse causeris: ecce testimonium Dei Patris. *Ecce Deus maiestatis intonuit; Dominus super aquas multas* ^z, & *Vox Patris audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* ^a. Verè enim hic est in quo non est quod Patri displiceat, quod oculos maiestatis offendat. Unde & ipse ait ^b: *Quæ placita sunt ei, facio semper, ipsum, inquit, audite.* Ecce Domine JESU, vel iam nunc loquere. Quousque files? quousque dissimulas? Diu tacuisti, & valde diu: sed iam nunc loquendi licentiam habes à patre. Quamdiu virtus & Dei sapientia, quasi infirmus aliquis & insipiens lates in populo? Quamdiu nobilis rex & rex cœli, fabri filium te pateris appellari pariter & putari? Etenim Lucas Evangelista testatur ^c, *quoniam adhuc filius Ioseph putabatur.* O humilitas virtus Christi, quantum confundis superbiam nostræ vanitatis! Patrum aliquid scio, vel magis scire mihi videor, & iam filere non possum: impudenter me & imprudenter ingerens & ostentans, promptus ad loquendum, velox ad docendum, tardus ad audiendum. Et Christus cum tanto tempore silebat, cum seipsum abscondebatur, numquid inanem gloriam metuebat? Quid timeret ab inani gloria, qui est vera gloria Patris? Utique timebat, sed non sibi. Nobis timebat ab illa, quibus noverat esse timendum: nobis cavebat, nos instruebat. Tacebat ore, sed instruebat opere: & quod postea docuit verbo, iam clamabat exemplo ^d: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Nam de infantia Domini parum aliquid audio: ex tunc iam usque ad hunc tricesimum annum nihil invenio. Nunc verò iam latere non potest, qui tam manifestè demonstratur à Patre. Nam in prima quoque apparitione cum matre virgine voluit apparere, quòd verecundia quadam in virginitate signaretur.

Tertia quoque apparitio eius in Evangelio invenitur: & hæc nihilominus hodie celebratur. Invitatus enim ad nuptias Dominus, vino deficiente compassus eorum verecundiæ aquam mutavit in vinum. *Hoc etiam* (sicut ait Evangelista ^e) *signorum eius fuit initium.* Itaque in prima apparitione homo verus innotuit, ubi inter ubera matris infans apparuit. In secunda verò, verum esse Dei Filium, Patris indicat testimonium. In tertia verò, verus esse Deus demonstratur: ad cuius imperium natura mutatur. Tot testimoniis hodie confirmatur fides nostra, tot indicibus roboratur spes nostra, tot incentivis inflammatur charitas nostra.

^z Psal. 26. b
^a Matt. 3. d

^b Ioan. 8. d

^c Luc. 3. c
Christus cur
latens & si-
lens ad an-
num trigesi-
mum usque
vixerit.

^d Matt. 11. d

^e 3. Apparitio
in nuptiis per
conversionem
aqua in vinum.
Ioan. 2. b

IN

IN EPIPHANIA DOMINI,

SERMO II.

De Magis, ubi exponitur illud de Canticis : *Egredimini filia Sion & videte Regem Salomonem.* Cant. 3. d.

Tres appari-
tiones Domi-
ni. Prima
præ ceteris mi-
rabilior, quæ
agnitus est
a Magis.

Tres apparitiones Domini legimus, una quidem die, sed non uno tempore factas. Et quidem mirabilis secunda, mirabilis tertia, sed prima apparitio mirabilius admiranda. Mirabilis aquarum mutatio; mirabilis Joannis & columbæ pariter & paternæ vocis attestatio; sed illud mirabile magis, quod agnitus est à Magis. Nam quòd Deum agnoscant, indicat adoratio, indicat thuris oblatio. Nec solum Deum, sed & regem agnoscunt, quod designatur in auro. Et in his non latet eos magnum pietatis Sacramentum: unde & myrrha indicat moriturum. Adorant Magi & offerunt munera adhuc fugenti matris ubera. Sed ubi est, ô Magi, ubi est purpura regis huius? Nunquid viles panni isti, quibus est involutus? Si rex est, diadema eius ubi est? Sed vos eum verè videtis in diademate, quo coronavit eum mater sua: in sacco mortalitatis, de quo resurgens ait ^a. *Quia concidisti saccum meum, & circumdedisti me letitia. Egredimini filia Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua* ^b, &c. Egredimini virtutes Angelicæ, incolæ civitatis supernæ. Ecce rex vester, sed in corona nostra, in diademate quo coronavit eum mater sua. Sed his deliciis usque modò caruistis, hanc hætenus dulcedinem non gustatis. Habetis sublimitatem eius, sed humilitatem eius non vidistis. Egredimini igitur & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua.

^a Psal. 29. c

^b Cant. 3. d
Angeli invi-
tantur ad vi-
dendum Re-
gem Christum.

^c Luc. 2. b.

Anima secu-
lares moven-
tur ad viden-
dum Regem
& qualis ille
egressus.

Veruntamen non est opus illis nostra exhortatione: quoniam ipsi sunt, qui desiderant in illum prospicere. Illis enim quantò sublimitas notior, tantò humilitas preciosior & amabilior est. Unde licet nobis maior sit causa lætitiæ (nobis enim natus est, & nobis datus) tamen ipsi nos præveniunt, ipsi nos exhortantur. Probat hoc Angelus ^c, qui gaudium magnum evangelizat pastoribus, & quæ cum eo facta est multitudo cœlestis exercitus. Vobis ergo dicimus, filia Sion, animæ sæculares, debiles, delicatæ filia, non filii; in quibus nihil est fortitudinis, nihil est virilis animi: *Egredimini, filia Sion.* Egredimini de sensu carnis, ad intellectum mentis; de servitute carnalis concupiscentiæ, ad libertatem spiritualis intelligentiæ. Egredimini de terra vestra, & de cognatione vestra, & de domo Patris vestri, & videte regem Salomonem: alioquin non erit tutum vobis videre eum Ecclesiasten. Idem enim qui *Salomon*, id est, *pacificus* in exilio est, *ecclesiastes*, id est, *concionator* erit in iudicio: *idida*, id est,

id est, *dilectus Domini* in regno. In exilio mansuetus & amabilis, in iudicio justus & terribilis, in regno gloriosus & admirabilis. Egredimini igitur & videte regem Salomonem: nam ubique rex est. Licet enim regnum eius non sit de hoc mundo ^d, tamen rex est etiam in hoc mundo. *Interrogatus siquidem; Ergo rex es tu? Ego, inquit e, in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum.* Hic ergo rector est morum, in iudicio discretor meritorum, in regno distributor præmiorum.

Egredimini proinde filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua: in corona paupertatis, in corona miseriæ. Siquidem coronatus est & à noverca sua corona spinea, corona miseriæ: coronandus à familia sua corona justitiæ, quando exhibent Angeli, & tollent de regno eius omnia scandala, quando veniet ad iudicium cum senioribus populi sui: cum pugnabit pro eo orbis terræ adversus insensatos. Coronat eum & Pater coronæ gloriæ, sicut psalmus ait ^f: *Gloria & honore coronasti eum.* Videte eum filiæ Sion, in diademate quo coronavit eum mater sua. Suscipite coronam parvuli, propter vos regis vestri, & unà cum Magis humilitatem eius adorate, quorum fidei devotio vobis hodie proponitur in exemplo. Cui enim comparabimus, & cui similes æstimabimus viros istos? Si Latronis fidem, si Centurionis confessionem considero, in eo superexcellere videntur isti, quod iam tunc miracula multa fecerat, iam tunc à multis prædicatus fuerat, à multis adoratus. Attamen consideremus quid & illi dixerint. Clamabat

Latro de Cruce ^g: *Domine, memento mei cum veneris in Regnum tuum.* Ergone per supplicium ille vadit in regnum? Quis indicavit tibi quoniam oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam? Tu quoque Centurio eum unde nosti? Videns quod sic clamans expirasset, *Verè, inquit h, hic homo filius Dei erat.* Mira res, & omni admiratione digna!

Propterea rogo vos, intuemini & videte quam oculata sit fides: quàm lynceos oculos habeat, diligentius considerate. Cognoscit Dei filium lactantem, cognoscit in ligno pendentem, cognoscit morientem. Siquidem Latro in patibulo, Magi in stabulo cognoscunt: ille clavis infixum, Isti pannis involutum: Centurio verò vitam agnovit in morte. Isti Dei virtutem in teneri corporis infirmitate, ille summum spiritum in expiratione, isti Dei verbum in infantia cognovere. Siquidem quicquid illi sermonibus, isti muneribus confitentur. Latro Regem, Centurio DEI filium simul & hominem pronunciat. Et hæc tria ipsa Magorum munera indicant, nisi quod thure non tam Dei Filium monstravere, quam DEUM. Obsecramus ergò, charissimi, profit vobis tanta charitas, quam vobis DEUS maiestatis exhibuit: tanta humilitas quam

Sermones S. Bernardi.

Q

suscepit:

Christus Rex.

John. 18. 2

Ibid. f

Psal. 8. b

Magorum fides & devotio excellit Latronis & Centurionis fidem.

Luc. 23. e

Matt. 27. f

Fidei oculis lyncei ad cognoscenda arcanà, & ab oculis corporeis abscondita.

suscepit: tanta benignitas quæ vobis per Christi humilitatem apparuit. Agamus gratias redemptori & mediatori nostro, per quem nobis innotuit tam bona erga nos voluntas Dei Patris. Siquidem talem iam novimus eius animum, ut non immeritò dicamus: *Sic currimus, non quasi in* i. Cor. 9. d *incertum*. Profecto enim tale est erga nos cor Dei Patris, quale nobis expressit qui de eius corde processit.

IN EPIPHANIA DOMINI,

SERMO III.

Vbi est, qui natus est rex Iudeorum? &c. Matth. 2. a

Diebus solemnibus quales precipue sermones conveniant.

Necessarium nobis videtur, Fratres, juxta cæterarum solemnitatum consuetudinem, etiam solemnitatis hodiernæ vobis exponere rationem. Interdum enim contra vitia loquimur, & genus illud sermonis perutile; sed diebus cæteris videtur opportunius convenire. Festivis autem, & maxime in præcipuis solemnitatibus magis circa ea quæ solemnitatis sunt, immorandum videtur, ut pariter & erudiat animus, & excitetur affectus. Quomodo enim celebrabitis quod nescitis, aut quomodo scietis, nisi annuncietur vobis? Propterea non sit molestum his qui sunt in lege periti, si parum doctis morem gerimus, ut exigit ratio charitatis. Credo enim ne ipsos quidem suis epulis esse fraudandos, si minus eruditus tanquam popularibus turbis grossiores prius apposuerint cibos, Ita verò apponent, si fraternæ charitatis intuitu placuerint eis quæ necessaria sunt, non satis intelligentibus, etsi fortasse sibi minus necessaria videantur. Sic autem fragmenta postmodum recolligent sibi ipsis, si diligentius recogitantes subtiliora quæque tanquam munda animalia ruminaverint; quæ parum intelligibiles animos præ subtilitate effugerint.

Epiphania solemnitas quid significet.

Trina Dominus apparitio hodie celebratur.

Solemnitas igitur hodiernæ diei ab apparitione nomen accepit. Epiphania quidem apparitio est. Hodie ergo Apparitio Domini celebratur: non tantum una, sed trina, sicut à Patribus nostris accepimus. Hodie enim parvulus rex noster paucis à Nativitate diebus transactis stella declarante primitiis gentium apparuit. Hodie quoque, cum jam triginta ferme in dispensatione carnis egisset annos: qui secundum divinitatem idem ipse est, & anni eius non deficiunt: inter populares turbas absconditus ad Jordanem baptizandus advenit: sed testimonio Dei Patris innotuit. Hodie nihilominus cum discipulis suis vocatus ad nuptias, deficiente vino, signo admirabili suæ potentiae aquas in vinum mutavit. Sed delectat eam, quæ in infantia Salvatoris facta est, apparitionem & diligentius intueri, quoniam & dulcissima est, & specialius hodie noscitur celebrari.

Hodie

In Epiphania Domini, Sermo III. 123

Hodie ergo sicut audivimus in Evangelica lectione, Magi Hierosolymam venerunt ab Oriente. Merito sane ab oriente venerunt, qui solis justitiæ novum nobis ortum annunciant: qui læti rumoribus totum mundum illuminant. Nisi quòd infœlix Judæa, quia lucem oderat, ad fulgorem novæ claritatis obtenebratur: & caligantes oculi eius coruscante radio solis æterni multò magis excæcantur. Venientes ergo ab Oriente Magi, quid dixerint audiamus: *Vbi est qui natus est rex Judæorum?* Quàm certa fides, & nihil penitus hæsitans. Non quærunt utrum natus sit: sed fiducialiter loquuntur: & interrogant sine dubitatione, ubi sit qui natus est rex Judæorum. Porro audito (nec mirum) nomine regis, rex Herodes successorem suspicatus expavit. Nec mirum, si turbatur Herodes: sed quòd Hierusalem civitas Dei (quæ visio pacis est) cum Herode turbatur, quis non miretur? Videte, fratres, quantum noceat iniqua potestas: quomodo caput impium subiectos quoque suæ conformat impietati! Misera planè civitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodiana sine dubio particeps erit malitiæ, & ad novæ salutis ortum Herodiana movebitur turbatione. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minimè regnabit: etiam si adesse contingat, quod & ipsum Deus avertat. Nam Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas est, nascentem velle extinguere religionem, & allidere parvulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur: quicumque resistit, quicumque repugnat, planè cum Ægyptiis parvulos Israelitici gemitus necare conatur: imo cum Herode nascentem persequitur Salvatorem. Sed jam inchoatam prosequamur historiam. Credo si quis conscius est huius rei, studiosius sibi cavebit de cætero & Herodianum execrabitur animum: ne similem exitum sortiatur.

Ergo quærentibus Magis regem Judæorum, & sciscitante à scribis Herode Dominicæ nativitatis locum, illi juxta Prophetam nomen civitatis edicunt. Cùmque recessissent Magi, & reliquissent Judæos, *Ecce stella quã viderant in oriente, antecedebat eos.* Hinc manifestè datur intelligi, quoniam humanum flagitantes consilium, divinum amiserit ducatum: conversos ad terrenum documentum, signum cæleste deseruit. Unde & relicto Herodè, continuò gavisi sunt gaudio magno valde: stella enim antecedebat eos usquedum veniens staret supra, ubi puer erat. *Et intrantes domum invenerunt puerum cum Maria matre eius, & procidentes adoraverunt eum.* Unde vobis hoc, ô alienigenæ? Neque enim tantam invenimus fidem in Israel! Sic vos non offendit vilis habitatio stabuli, non pauperies cunæ præsepîi? Non vos pauperis matris præsentia, non lætæ infantia scandalizat?

Ea præcipue quæ Magis facta est.

a Matt. 2. 2.

Regis ad exemplum componitur populus.

Q 2

Denique,

Cur aurum,
ihus, myr-
rham obtule-
rint.

^a Apoc. 5. c

^c Psal. 140. a

^d Eccl. 3. 5. c

^e Luc. 14. g
^f Matt. 19. c

^g Luc. 9. c

^h Gal. 9. d

Orationes ala
mundi con-
temptus, &
afflictio cur-
nis.

ⁱ Tit. 3. b

^k Matt. 1. h

Quid in pri-
ma apparitio-
ne gestum.

Quid in se-
cunda.

Denique, *Apertis thesauris suis* (ait Evangelista) *obtulerunt ei munda-
ra, aurum, thus & myrrham.* Si solum obtulissent aurum, videri fortasse
poterant paupertati Matris voluisse consulere, ut haberet nimirum, unde
parvulum posset filium educare. Nunc autem offerentes pariter au-
rum, thus, & myrrham: sine dubio spiritualis oblationis genus insinu-
ant. Aurum enim inter divitias sæculi videtur excellere, quod per eius
gratiam omnes nos devotè obtulimus Salvatori, cum pro eius nomine ex
integro dereliquimus substantiam huius mundi. Jam verò necesse est, ut
qui perfectè terrena contempsimus, flagranti desiderio cœlestia requira-
mus. Sic enim offerimus & thuris odoramentum: quo nimirum, ut
in Apocalypsi beati Joannis legis ^b, significantur *orationes sanctorum.*
Unde & Propheta in Psalmo ^c, *Dirigatur, inquit, oratio mea sicut incen-
sum in conspectu tuo.* Sic & in alio loco legis ^d, *Quia oratio iusti cœlos pene-
trat.* Oratio, inquam, non cuiuslibet, sed iusti. Nam qui avertit au-
rem suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.

Porro si iustus esse volueris, & non avertere aurem tuam à manda-
tis Domini, ne avertat & ipse suam à precibus tuis: necesse est ut non
solum præsens sæculum contempnas, sed & ipsam carnem castiges, & sub-
jicias servituti. Nam qui dixit ^e, *Nisi quis abrenuntiaverit omnibus quæ
possidet, non potest meus esse discipulus:* & alibi ^f, *Si vis esse perfectus, vende
& vende omnia quæ habes & da pauperibus, & veni, sequere me.* Idem ipse
in alio loco ait ^g: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat cruce-
m suam, & sequatur me.* Quod exponens Apostolus ^h, *Quicumque, in-
quit, sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.*
Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemptum mundi, & afflictionem
carnis: nec dubium quin cœlos penetret, & dirigatur sicut incen-
sum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificium, & acceptabilis ob-
latio nostra, in qua cum auro & thure fuerit etiam & myrrha, quæ licet
amara sit, tamen perutilis est, & conservat corpus, quod mortuum est
propter peccatum, ne defluens in vitium putrefiat. Hæc breviter pro-
mitanda Magorum oblatione sint dicta.

Cæterum quoniam Apparitionem hanc esse diximus: quid in ea
appareat, dignum est ut quæramus. Utique secundum verba Apostoli ⁱ,
Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri Dei. Ecce enim in Evan-
gelica lectione audivimus ^k, quoniam, *intrans domum, Magi invenerunt
puerum cum Maria matre eius.* In infantuli corpore quod virgineo ma-
ter fovebat in gremio. Quid nisi veritas susceptæ carnis apparuit? Quid
in eo quod cum matre parvulus invenitur, nisi verus homo & verus ho-
minis filius declaratur? Jam verò & in secunda apparitione vide si non
manifestè

manifestè vocis paternæ testimonio Dei Filius approbatur ¹. Cœli namque aperti sunt super eum, & descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut columba in illum, & vox patris audita est. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Satis equidem manifestum est ex hoc ipso, satis evidens & indubitabile, quoniam Dei filium necesse est Deum esse. Nam & filios hominum homines, & ipsorum quoque animalium fœtus ex eodem cum eis genere esse nemo est qui dubitet. Veruntamen ut nullus sacrilego errori remaneat locus, qui in prima apparitione verus homo & filius hominis est declaratus, & in secunda verus nihilominus Dei filius: in tertia jam verus Deus & auctor naturæ probatur, ad cuius nutum natura mutatur. Nos ergò, dilectissimi, Christum Jesum diligamus ut verum hominem & fratrem nostrum, honoremus ut Dei Filium, adoremus ut Deum. Securè credamus in eum, securè credamus ei nos ipsos, fratres mei, cui nec potestas deest salvandi nos, cum sit verus Deus & Dei filius: nec bona voluntas, cum sit tanquam unus ex nobis verus homo, & hominis filius. Quomodo namque nobis erit inexorabilis, propter quos factus est similis nobis passibilis?

Jam si desideratis super his Apparitionibus aliquid ad ædificationem morum audire, illud attendite, quod *primò* omnium Christus appareat puer cum Virgine Matre, ut simplicitatem & verecundiam ante omnia quærendam nobis doceat esse. Nam & pueris simplicitas naturalis, & cognata virginibus verecundia est. Omnibus ergo nobis in conversionis nostræ initio nulla magis virtus necessaria est, quàm simplicitas humilis, & gravitas verecunda. In *secunda* verò apparitione venit Salvator ad aquas baptisimi, non quidem lavandus, sed magis à Patre testimonium accepturus. Hæ sunt lachrymæ devotionis, in quibus non indulgentia peccatorum, sed beneplacitum quæritur Dei Patris, cum descendit in nos Spiritus adoptionis filiorum, testimonium perhibens spiritui nostro quòd sumus filii Dei, ut mellifluam nobis vocem de cœlo videamur audire: quia verè Deus Pater in nobis complaceat sibi. Nec parum diitat inter has lachrymas devotionis, & ætatis utique iam virilis, atque eas, quas primæva ætas inter infantia vagitus emisit? lachrymas utique pœnitentiæ & confessionis. Veruntamen longè amplius utrisque procedunt aliæ quædam lachrymæ, quibus & infunditur sapor vini. Illas enim lachrymas verè & in vinum mutari dixerim, quæ fraternæ compassionis affectu in fervore prodeunt charitatis: pro qua etiam ad horam tui ipsius immemor esse sobria quadam ebrietate videris,

Quid in tertia,

Excisatio fiducia nostra.

Simplicitas humilis & gravitas verecunda nobis commendatur prima apparitione.

Lachryma devotionis in secunda.

DE CIRCUNCISIONE, BAPTISMO,

& verbo Domini ad Joannem.

Sic decet nos implere omnem iustitiam, Matt. 3. d

S E R M O I V.

POpulo duræ cervicis cultellus erat necessarius, & lapideis cordibus meritò cultri lapidei debebantur; qualibus à JESU Nave facta circuncisio memoratur^a. Noster autem JESUS tanquam Agnus mansuetus omnem austeritatem abstulit. Domine, agnus es cum lana & lacte veniens; aufer à me, obsecro, cultellum istum. Durum enim videtur & crudele, parvulo recenter nato cultrum lapideum adhibere. Sic agit misericors. Duritiam duris congruam fersis, filiis commutavit in mansuetudinem, ut rubiginem originalis peccati, quam vix cultellus eradere poterat, ex hoc jam cum unctione gratiæ facillè lavet aqua. Nihil ergo mirum, si pro diversitate temporum mutata sint sacramenta: ut daretur utriusque quod congruum erat eis. Ipse verò Christus utrumque suscepit, ut tanquam lapis angularis utriusque parieti cohæreret, ac si duarum capita corrigiarum consuetudo connecteret: sicut & pascha figuratum ipse complevit, & verum protinus inchoavit.

^a Ios. 5. a b
In veteri lege
durum peccati
originalis
remedium.

ut Christus
circuncidi vo-
luit.

. Ratio.

. Ratio.

Ioan. 3. a

Gen. 17. b

. Ratio.

Gal. 6. a

Christus com-
munitatis a-
mator &
commendator,
rem humili-
tatis.

Galat. 4. a

Sed & propterea voluit circuncidi, ut ostenderet auctorem se esse veteris legis, sicut & Evangelii, quoniam qui per seipsum ait^b: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c.* ipse idem per servum prius dixerat^c: *Omnis anima cuius præputii caro circuncisa non fuerit, peribit de populo suo.* Quòd si solum baptisma suscepisset, videri poterat refugisse circuncisionem, tanquam nihil ad se pertinentem. Si verò circuncideretur & non baptizaretur, quomodo mihi persuaderi posset baptizari, circuncisione relicta? Nunc itaque post circuncisionem baptisma suscipiens, illud mihi tenendum tradidit, quòd ultimò suscepit.

Denique communitatis amator & commendator, qui habitare facit unius moris in domo^d, quomodo communitatem desereret & alios scandalizaret? Sic enim scandalizarentur videntes eum non circuncidi, sicut hodie scandalizaretur Ecclesia, si infantem videret non baptizari. Nec solum communitatis & unitatis bonum commendare, sed humilitatem voluit exhibere, ut ligaturam vulneratorum susciperet, qui solus erat absque vulnere. Hinc enim Apostolus^d dicit: *Misit Deus filium suum in mundum, natum ex muliere, factum sub lege.*

Verum ne quis fortè diceret, quòd circumeisus est, parentes fecerunt, parvulus enim erat: jam triginta annorum ad Baptismum ipse perrexit. Inclinator sub Baptistæ manibus caput tremendum potestati-
bus,

In Epiphania Domini, Sermo IV. 127

bus, principatibus adorandum. Quid mirum si Baptista contremuit? Quis vel ipsa cogitatione non contremiscat? O quam altum erit in iudicio caput quod modo inclinatur? & vertex qui modo tam humilis videtur, quam sublimis & excelsus tunc apparebit? *Sine* (inquit ^e) *modo: sic enim decet nos implere omnem iustitiam.* Siquidem qui in plenitudine temporis venit, & in quo habitat plenitudo divinitatis, nihil novit nisi plenum. Nam legem non venit solvere, sed implere ^f. Est autem iustitia quaedam *f* *Matt. 5. b* stricta & angusta valde: ita ut quam citò pedem verteris: in peccati fo- *Duplex iusti-* veam cadas; nec præponere se æquali, nec æquare præposito. Huius de- *tia: stricta* finitio est reddere unicuique quod suum est. Altera latior & amplior *& lata.* iustitia, nec æquare se superiori nec inferiori præponere. Sicut enim grandis & gravis est superbia præferre se æquali, aut æquare prælato; ita magnæ humilitatis est inferiorem se exhibere æquali, aut æqualem inferiori. Maxima & plena iustitia est se inferiorem exhibere etiam ipsi inferiori. Sicut enim summa & intolerabilis superbia est superiori se præponere: ita inferiori se subdere, summa & plena iustitia est. Quod Jo- *g* *Matt. 3. d* annes ait, *Ego à te debeo baptizari*: de prima fuit, quia superiori se subdi- dit, quod autem Christus fecit, de plena iustitia fecit: siquidem ille ser- vuli sui manibus se inclinavit.

Videat autem nunc quisque quem imitetur, hunc, an eum qui extollitur super omne quod creditur Deus aut colitur. Studeamus & nos, obsecro, fratres, adimplere omnem iustitiam. Ipsa enim est via per quam ad lætitiā venit. Nam lætitiā præmiū est: iustitiā verò meritum & materia. Nam de ipsa iustitiā erit lætitiā nostra, quando Christus apparebit vita nostra: & nos apparebimus cum ipso in gloria: quoniam ipse est qui factus est nobis à Deo patre iustitiā. Beati verò qui etiam nunc de iustitiā lætantur & exhilarantur in conscientiis suis sugentes mel de petra, oleūque de saxo durissimo. Nunc autem videtur laboriosa iustitiā: sed veniet quando in suavitate & jucunditate sine omni labore desideretur & habeatur, & ametur, & percipiatur, quando fruemur ipsa iustitiā. Væ autem his qui prætergrediuntur viam, qui relicta iustitiā, vanam & transitoriam lætitiā quærunt. Cùm enim de transitoriis quærunt lætitiā, non poterit non transire transeuntibus his de quibus erat.

Sicut enim lignis deficientibus deficit ignis: sic mundus transit,
& concupiscentia eius: haud dubium quin &
lætitiā quoque.

DOMI-